



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. VII. De Obligationibus Medicorum, Pharmacopæorum, & Chirurgorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

mentur, quamdiu nulla probabilis ratio in contrarium occurrit, quæ ipsis dubium positivum afferat. At extranei nondum stipendio conducti, belli Justitiam investigare debent, nec militare nisi factâ inquisitione prudenter judicent talem Principem bellum justum gerere: alioqui non possunt prudenter judicare se non peccare militando. Nec eis licet militare sub Principe de cujus Justitia dubitant; quia nullâ cogente & excusante obediendi necessitate exponerent se periculo gravissimæ injuriæ aliis inferendæ.

Porro nemo debet contra proprium Principem aut patriam militare, cum hoc sit contra pietatem & fidelitatem debitam.

CAPUT VII.

De Obligationibus Medicorum, Pharmacopæorum, & Chirurgorum.

Dico, hi tenentur sub mortali i. Habere sufficientem scientiam & peritiam. 2. Impendere debitam diligentiam ad curandos morbos. 3. Adhibere remedia tutiora, certiora, aut in horum defectum probabiliiora, & quæ citius sanitatem allatura sunt: tum quia alioqui vitam proximi periculo imprudenter exponerent: tum quia tenentur ex charitate, & ex officio ac Justitia, in meliori modo quo possunt, & cum minime damno ac periculo

M 4

alios.

alios curare: & idcirco eorum opera conducitur. Quod si omnino dubium sit medicamen, nec probabiliter judicetur profuturum, communior docet, inquit Filliucius, non esse dandum: quia si detur exponitur æger periculo, forte sanandus: si non detur & mors sequatur, ea non culpâ Medici sed violentiâ morbi eveniet. Si tamen nulla sit spes de salute infirmi, nec adsit remedium nisi dubium, de quo scilicet dubitatur num profuturum an nociturum sit, debent illud adhibere; quia sic infirmi negotium utiliter geritur: nam potest curari si detur, & versatur in certo mortis periculo si non detur; meliôrque est salus incerta quàm mors certa. 4. Tenentur saltem ex charitate statim ægrum monere per se vel per alios de periculo mortis, ut suæ salutis æternæ maturè providere possit. Et Conc. gener. Later. 4. cap. *Cum infirmitas de pœnit.* districtè præcipit medicis, ut priusquam curationem corporis incipiant, infirmos moneant & inducant, ut *Medicos advocent animarum.* Hanc legem innovavit S. Pius V. Constit. 2. addendo ne Medici ultra tertium diem visant ægrotum, nisi de illius Confessione sibi constet, cum scilicet morbus gravis est, vel periculum est, ne gravis fiat.

Hinc peccant 1. Si absque sufficienti peritia morbos curare tentent. 2. Si debitam curam & operam pro gravitate morbi non impendant. 3. Si medicamenta minùs idonea, certa
ac tu-

actuta, relictis certioribus, vel evanida adhibeant; aut cum hæc defunt, sed suppetunt probabiliter utilia, dent inexplorata explorandi gratiâ. 4. Si curationem negligent aut protrahant lucri causâ, aut naturam morbi non satis expendant, vel eâ non benè perspectâ temerè adhibeant remedia obvia, aut periculosa. 5. Si aliquid contra legem Dei suadeant. 6. Si sine iusta causa carniū usum permittant, à jejuni præcepto avertant. 7. Si pauperibus graviter ægrotantibus gratis non opitulentur. 8. Si medicamenta ad impediendam generationem, vel ad fœrum expellendum præbeant, vel doceant. 9. Si optent morborum frequentiam. 10. Si occultos morbos pudendos eorum, quos curant, divulgent. 11. Si mercedem iusto majorem exigant, &c.

Mercatorum, Opificum, & Operariorum obligationes ac peccata patent ex dictis de Contractibus, de Justitia, & alibi.

